

salsus factus, fluxum patitur, et refluxum, alter quiescit. Sed si salsedo, propria est marinorum motuum affluxus, et refluxus causa. Cur non omnia maria, hosce motus duos sentiunt? Hanc quæstionem persequamur. Mare Caspium, si verum sit non intumescere affluxu, et refluxu detumescere, quod tamen in incerto est, ob duas id fuerit causas. Ob minorem scilicet aquæ salsedinem, et ob ingentem eius profunditatem. Hanc secundam Ambrosius Contarenius refert. Illam priorem, 80 flumina, quæ in illud, cum quinque lacubus non parvis exonerantur, faciunt. Inter quæ ingentia, Ochus, Oxus ab oriente, ab occidente Cyrus, Araxes, qui 40 ostiis in id influit, ab Aquilonibus Volga qui 72 ostiis, testante eodem Contareno, id mare ingreditur. A quibus tot, et tam magnis necesse est ipsum dulcius reddi. Cui rei fidem facit quod in eo Sturio, et Murena quæ dulces amant aquas, magna copia capitur, et quod ad littus quoddam in salem sponte concrevit. Qui sal, dulcibus admistis aquis facilius cogitur. Probat id salina ad Cythium quam diximus, ex aquis pluviis, et fundo salso. Et ubi salsa aqua admista dulci, coquitur. Profunditas autem in causa est, ut novi spiritus, et vapores, cum Solis radii, et Lunæ ad fundum non pertingant, vel nihil, vel minore copia, et viribus generantur, ii magna mole pressi, neque se, neque mare superpositum queunt attollere. Mantiana vero palus si non affluat, et refluat (nihil enim hac de re, a quoquam traditur) duæ hæc forte causæ fuerint in causa. Vel tertia etiam hæc, quæ in Asphaltitæ certo comperitur, aquæ crassitudo nimia. Quæ nihil in se mergi patitur. Et ob eius crassitiei gravitatem attolli nequit. Adde quod et bituminosa est. Et ob id non amplius salsa, sed amara. Nos autem salsedinem causabamur, et in Rubri maris sinu intimo, fit affluxus ob fundi salsitatem. In faucibus vero ab Oceani est influxu. In medio vero, si non fiat, (nam et hoc quoque in dubio est) ab aquæ eius renvitate, accidet, contraria, proxime dictæ, causa. Scribit enim Io. Barros, ex Io. de Castro experimentis, eius aquam longe esse repertam tenuiorem, et Crystallo similiorem quam ea sit, quæ extra eius fauces, in Oceano hauriebatur. Quam tenuitatem etiam eius perspicuitas ostendit. Toto enim fere eo mari fundus clarissime conspicitur. Tenuitas autem hæc, et paucos, et debiles tum vapores, tum spiritus gignit. Qui vel inde expirant, vel impotentes sunt eam aquam sustollere. Mæotis autem, et Pontus, et Propontis, cur affluxum et refluxum non patiuntur? Vel fluxum quidem patiuntur perpetuum, refluxum non patiuntur. Fluit enim Mæotis in Pontum perenniter, ex altiore loco in depressiorem; Pontus itidem in Propontidem, et hæc in Augeum eadem de causa. Quod et Aristoteles est contestatus. Refluunt vero numquam, aut hæc in Pontum, aut Pontus in Mæotim. Ab inferiore scilicet loco in superiorem, aquæ non fluere habent necesse. Ad hanc causam, addimus Mæotim a Tanai, atque aliis fluviis effectam, necessario esse salsam minus. Signo id probamus. Quod Sturionum, et Murenatum est feracissima. Hæc autem dulciores uti dictum amant aquas. Pontus vero et ipse tales habet. Nam ex Arriani descriptione magna flumina recipit LII inter quæ, Istrum, Hypanim, Beristhenem, Thanain, Phasim ingentes amnes, quibus eum dulcescere est necesse. Vel salsedinem eius ita temperari, ut ea spiritus de se dare nequeat, quibus mare intumescat, et qui forte gignantur, altitudine aquæ ita premantur, ut etiam opprimantur. Strato quoque dulcissimam esse aquam est attestatus. Esse autem Pontum profundissimum, testimonio sunt Bathea, veteribus Plinioque cognita, vadis numquam repertis. Et quod nunc habet agnomen Nigri maris. Nigredo autem maris a profunditate nautis est, sicuti viriditas a brevitate. Propontis cum suas a Ponto habeat aquas, eodem dulcore necesse est, esse præditas, et a propriis aucto amnis. Si verum sit quod dicunt, Balticum cum sociis Livonico, Finonico, Botnico, non affluere et refluere, profunditatem in causam asseremus unam, quam testatur Olaus esse immensam. Et præterea, quia in ea maria, lacus exonerantur dulcium aquarum LXXX flumina vero plusquam LX. Quibus dulciora necesse est fieri, et facilius frigoribus conglaciantur, ut glacie quoque pressa, attolli nequeant, ac forte, bituminosa in fundo sunt, quod succinum bituminis speciem, magna copia in littora fluctibus convoluant. Sed mirius multo est, cur Tyrrenum, Ligusticum, Narbonense, non increscant, neque decrescant, cum et continua sint Africo affluentia et refluentia: neque magni in